



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris Theologia Tripartita Universa**

Complectens nunc Bibliothecam perfectam Viri Ecclesiastici, ordine  
sequenti

Controversiae Heterodoxae Ac Scholasticae - Cum speciali Notitia rerum  
Modernarum, & Chronologia totius Monarchiae Sacrae, & Saecularis,  
Pontificum, Conciliorum &c. Haeresum omnium, ac Propositionum  
damnatarum Mundi Sex Aetatum ...

**Archdekin, Richard**

**Dilingae, 1687**

Argumentum 4. Communis omnium gentium consensus pro fide Romana.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38447**

XV. Ex his autem cæterisque articulis à primitiva Ecclesia olim damnatis nullum omnino recipit *Ecclesia Romana*, aut unquam admisit, & quemvis admittere volentem à suo corpore resecurit. Deposita Fidei à Christo & Apostolis sibi traditum tam firmum & inviolatum semper retinuit, ut maluerit tam ab antiquis quam ab horum temporum Sectariis gravissima bella, rapinas bonorum, exilia, & morte ipsam sustinere, quam vel unicum articulum à primitiva Ecclesia damnatum admittere uti hodie in Angliæ, Hollandiæ & maxime in antiquissimis Hiberniæ Catholicis, tot calamitatibus hæcenus ideò laceratis ante oculos videmus.

Ad hanc rationem vel unicam, si serio lubeat reflectere, fieri non potest, quin hodiernas Sectas à vera Christi Ecclesia facile discernas. Quæcunque enim Secta deprehenditur hæresim vel unicam à vera Ecclesia olim damnatam admittere, tam implicat illam esse Ecclesiam Christi, quam falsum esse verum, aut album esse nigrum. Sicut enim contra debitam Regi fidelitatem in uno puncto cum hoste conspirans, hoc ipso fit Regirebellis, sic cum damnatis Hæreticis unico in errore consentiens, Deo sit inimicus ac perduellis, & extra salutis tramitem exul aberrat.

#### ARGUMENTUM IV.

*Communis omnium Gentium consensus pro Fide Romana.*

I. Illa judicanda est vera Christi Ecclesia, quæ per totum orbem recepta, & omnium gentium testimonio & consensu comprobata est, potius quam illa, quæ exiguo spatio circumscripta, & à paucis admixta fuit. Quis enim æquus iudex non dubitabit adjudicare litem illi parti, quæ præ alia habet testes multo plures, & inter se omni tempore, & loco convenientes.

II. Atqui omnium gentium commune testimonium stat pro una & sola *Ecclesia Romana*, quæ proinde *Catholica* & universalis toto orbe nominatur. Nam quoad priora tempora, nullum est toto orbe regnum, nulla natio nobis cognita, in qua aliquando propagata & recepta non fuerit, aut propagari inceperit. Quinimò hoc tempore apud Gentes de novo repertas publica extat Religionis Romanæ professio, templa, altaria, Missæ, cultus imaginum, &c. plerisque etiam locis in regnis Turcarum Catholici aliqui reperiuntur. In Europa Religionem Romanam publicè timentur ac profitentur universa regna Hispaniæ, regnum Galliæ amplissimum, tota penè Germania, Polonia, Italia, maxima ex parte Belgica, neque exiguo Fidelium numero per Angliam, & multo majori per Hiberniam, aliasque plures orbis partes disseminata reperitur. Cum his si comparentur pauci Europæ anguli, qui Sectam Lutheranam, aut Calvinianam profitentur, unum pro millibus testem vix reperies. Solum enim regnum Britanniarum, cum Dania, Suecia, Hollandia, & aliquâ Germaniæ parte Sectam Lutheranam vel Calvinianam, eamque pluribus aliisque Sectis immixtam complectitur. Quid exiguus ille numerus cum tota Europa comparatus? Quid cum Asia, Africa, America? Quorum incolæ, uti & regionum nunc in Europa infectarum, Religionem Romanam aliquando receperunt, & per multa sæcula suo testimonio, & sanguine comprobantur.

III. Si igitur multitudinem testium eorum, qui in Re-

ligione Romana, toto orbe vixerunt per *sedecim sæcula*, conferam cum exiguo manipulo Lutheranorum vel Calvinianorum, qui tantum unius sæculi spatio emerferunt in paucis Europæ Regionibus, non possum salvâ æquitate pro altera, quam Religione Romanâ, ferre sententiam. Neque poterit supremus Iudex in extremo iudicio aliud pronunciare, quam me iuste ac sapienter egisse, quod communem & constantem orbis penè universi consensum, paucorum, ac malè inter se coherentium hominum iudicio, à reliquo orbe repudiato, prætulerim.

Vim huius argumenti ipsâ experientiâ comprobari videmus, in integris legionibus ex militia, & nobilitate Anglicana, quorum plerique, dum ex domesticis errorum tenebris prodeunt ad publicam lucem Catholicæ Ecclesiæ in Belgio, Gallia, Hispania, facile veram Romanæ Ecclesiæ Fidem agnoscunt, & profitentur. Uti non ita pridem apparuit in viris summo ingenii & iudicio præditis, Comite de Bristol, Barone de Inchequin, & aliis de nobilitate & famâ nobilissimis.

#### ARGUMENTUM V.

*Nulla est certa Ecclesia Christi in mundo, si non sit Romana.*

I. Certum est veram Christi Ecclesiam in mundo reperiri, ut omnes fateantur: Atqui hoc certum non esset, si vera foret fides Sectæ Lutheranæ aut Calvinianæ. Ergo illa est à veritate profus aliena.

Minor patet ex eo, quod Secta tam Lutheranæ, quam Calvinianæ doceat, veram Ecclesiam à Christo institutam potuisse deficere, & eam in Ecclesia Romana quæ ab initio fuit vera, actu defecisse, & nunc penes Sectam v. g. Lutheranam veram Ecclesiam permanere. Quod si verum est, posse deficere veram Christi Ecclesiam: & tu afferas tuam Calvinianam, vel Lutheranam esse veram Christi Ecclesiam: ergo potuit etiam tua Lutheranæ & Calvinianæ deficere; ergo certum non est aliquam veram Christi Ecclesiam in mundo reperiri. Sicut enim asseris defecisse olim veram Christi Ecclesiam, ita nunc deficere potuit tua, neque certus esse potes, quod actu non defecerit: nulla enim promissio Lutheranæ vel Calvinianæ Ecclesiæ facta est, aut fieri potuit, supra veram Christi Ecclesiam.

II. Quod si dicas, tantum posse deficere Ecclesiam Christi *visibilem*. Infero, ergo tibi non constat, an Ecclesia Calviniana vel Lutheranæ visibilis, quam profiteris, sit vera Christi Ecclesia.

III. Idem breviter alio Argumento demonstratur: Non potest esse vera Christi Ecclesia sine vera *Scriptura*: hoc Sectarii omnes admittant. Atqui nulla est vera Scriptura in mundo nisi eam habet Ecclesia Romana. Patet, quia Scripturam suam Lutherus, Calvinus, &c. ab Ecclesia Romana primò acceperunt, ex qua ipsi prodierunt. Ergo nulla est vera Christi Ecclesia in mundo si Romana non sit vera; & Scripturarum divinarum custos infallibilis: adeoque nec vera erit Lutheranæ, Calvinianæ, & sic de cæteris modernis. En quomodo dum volunt illi Ecclesiam Romanam confodere, per illius latus seipfos interimunt.

Adde & alterum: Vera Christi Ecclesia debet esse *perpetua*. Hoc enim Christus ab initio suæ Ecclesiæ promissit. Atqui nulla præter Romanam potest perpetuam illam à tempore Christi successionem per umbram in se ostendere: Non tua Luthere, non tua Calvine,

quæ